

tur, ex quibus religionis obtentu Hebræorum ac Turcarum bona abstulerant. His de rebus acerbe cum Magni Magistri oratore (*Receptorem vocant*) conquesti sunt Patres: jus gentium violatum, turbata maria, tenuis atque ignobilis lucri cupiditate Turcas in suas ditiones, quæ pro munimento reipublicæ christianæ erant, lacefſitos. Justas Senatus expostulationes cum Magnus militiae Magister audifſet, statim navigia intercepta prædamque omnem restitui jubet; ſuæ religionis hominem, qui acta excufet, Venetias mittit. Is prolīxa oratione Hierosolymitanorum militum in Rempublicam obsequium atque observantiam, quam antea ſemper, nuper vero ſuperiore cum Selymo bello, effuso ſanguine, patefecerant, ampliſſimis verbis declaravit: negotiatorum damna ſarciri Magnum Magiftrum juffiſſe, neque ut poſthac moleſtum Reipublicæ quidpiam accidat, devincta fide, paſſurum; quamvis priſcis Hierosolymitanæ religionis conſtitutionibus ac privilegiis ubicumque infidelium bona, quos perpetuos hostes haberet, inventa eſſent, juſte ſui juris efficere poſſe ſibi ſuaderet. Ad hæc Princeps, ex iis, quæ contra juſ, æquum, amicitiæque leges ac ciderant, magnam moleſtiam Senatum cepiſſe, inquit; nihilominus ſperare, Magni religionis Magiftri prudentia ac virtute & præterita corrigi, & in posterum tot incommodis provideri poſſe: ingentis negotium ponderis eſſe, cum in eo de ſubjectorum bonis fortunisque, de vextigalibus, qui rerumpublicarum nervi habentur; quodque ceteris magis refert, de tranquillitate ac pace publica agatur, dum exili lucro Turcarum provocarentur arma, affiduaque belli ſuspicione christiana reſpublica diſtineretur: in tot tantisque rebus priſcis Melitensium privilegiis locum non eſſe; temporum tractu humanarum rerum agitatione affiduaque volutatione immutatam cunctorum faciem; optimaque ratione fieri, ut gravifſimarum rerum momenta reliqua ſecum rapiant: ejusdem ſententiæ Gregorium Pontificem Maximum eſſe; neque ab his vel Galliæ, vel Hispaniæ Reges diſſentire. Cum hoc reſponſo orator eſt diſmissus.

Quæ ab Uſcochis quotidie ſcelera perpetrabantur, haud minori moleſtia Patres afficiebant; cum numero aucti, præteritorumque facinorum impunitate inſolentiores facti, in Ve-

Melitenaſ
ſes navigia
& bona Ven
etis reſti
tuunt.

Meliten
ſis nunti
cum Venetiis
officia.

Pontii
Principis
reſponsu[m]